

DE IOANNE CHRYSOSTOMO „DEMAGOGO“.

Ex omnibus Ioannis Chrysostomi dictis factisque apparet eum ab hominum, qui tum ad mentes et animos conformandos multum valerent, sententiis et studiis parum abhorruisse. Itaque cum animo liberali atque humano¹⁾, quin etiam molli et tristi, spe firma et mentis ardore²⁾ praeditus fuit, tum nonnullis quae viri sunt propriae virtutibus, illo animo forti et strenuo³⁾, illa nova consilia ineundi facultate caruit. Nimirum cum seu doctrinam Christianam interpretaretur eiusque arcana enodaret, seu de virtute praeciperet, sententiis plane propriis non fuit contentus, sed eas, quae usu diuturno bonum commune factae essent, saepenumero ab aliis et christianis et paganis scriptoribus nec non philosophis sumpsit⁴⁾. Etiam cum temporum ratio-

1) Praeter alios illum praecipue Libanium, Chrysostomi magistrum, summam humanitatem ornatam fuisse comperimus; v. Liban. Orat. XXIX 13; XLV; L 24. — Cf. Juliani Apost. fragm. epist. 291 D: *ἀνθρώπος γὰρ ἀνθρώπων καὶ ἐκὼν καὶ ἄκων πᾶς ἐστὶ συγγενῆς*; id. ib. 305 A.

2) E. Martin, St. Jean Chrysostôme, ses oeuvres et son siècle, Montpellier, 1860, duodecimum libri secundi caput inscripsit: „Enthousiasme, principal caractère de l'éloquence de Chrysostôme“.

3) Argumento sint permulti loci, quibus indignatione ductus primo iudicem severum, deinde tamen minis omissis patrem placidissimum se praestitit; cf. IV 57 sqq.; XI 350 sqq.

4) De similitudinibus, quae inter ecclesiasticorum et paganorum scriptorum ac philosophorum opiniones et praecepta intercedunt, quod vero ipsi christiani comprobaverunt (cf. Paul Wendland, Die hellenistisch-römische Kultur, Tübingen 1912² et³ p. 94), multi iam scripserunt. Ne omnes enumerem, videas velim T. Sinko, O t. zw. diatrybie cyniczno-stoickiej, Eos XXI 1916 p. 24 sq. Cf. etiam K. Prächter, Christlich-neuplatonische Beziehungen. Byzant. Zeitschrift XXI 1912; Gaston Boissier, La fin du paganisme, Paris

nem atque inclinationem sequeretur, praeterita, quae singularem quandam summae perfectionis videntur exprimere imaginem, admirabatur (cf. Migne IV 487; IX 103; XI 416) et spem totam in vita altera collocabat, praesentia vero pro nihilo reputabat.

Si investigaverimus quid sibi, cum de suggestu sacro ad populum diceret, voluerit, eum omnibus mentis et debilis corporis viribus videbimus contendisse, ut auditorum animos sibi conciliaret¹⁾, et hoc mutuo amore ac fide innixum omne studium et industriam in doctrina Christiana confirmanda et moribus hominum corrigendis posuisse. Itaque in quaestiones, quae ad religionis et morum praecepta perspicienda valerent, solas incubuit, cum alias vel leviter tantum perstringeret, vel prorsus silentio praeteriret²⁾. Quos Dei leges ne-

1907⁵ (ed. VI a. 1909) I p. 120 et passim; Wendland l. l. p. 41 sqq; 92 sqq; 231 sqq; passim; Johannes Geffcken, Der Ausgang des griechisch-römischen Heidentums, Heidelberg 1920 p. 172; 214 sqq; 241 sqq; passim. — Qui de Ioanne Chrysostomo scripserunt, hi sunt: Δημήτριος Δανιήλ, Ἰωάννου τοῦ Χρυσσοστόμου ἡ γενικὴ ἠθικὴ ἐν τῇ σχέσει αὐτῆς πρὸς τὴν τῆς ἐλληνικῆς φιλοσοφίας. Ἐν Βάρνη 1894 pp. 1—38; Konrad Elser, Der hl. Chrysostomus und die Philosophie. Theolog. Quartalschrift LXXVI 1894 p. 550—576; Anton Naegele, Johannes Chrysostomos, und sein Verhältniss zum Hellenismus. Byzant. Zeitschrift XIII 1904, I Chrysostomos im Wandel der Jahrhunderte, II Chrysostomos und die klassischen Studien; Idem, Über Arbeitslieder bei Johannes Chrysostomos. Patristisch-Literarisches zu K. Büchers „Arbeit und Rhythmus“. Abdruck aus den Berichten der philol.-histor. Klasse der königl. sächsischen Gesellschaft der Wissenschaften zu Leipzig 1905 pp. 101—142; Idem, Chrysostomos und Libanios, in Χρυσσοστομικά 1 Roma 1908 pp. 81—142; M. Pohlenz, Philosophische Nachklänge in altchristlichen Predigten. Zeitschrift für wissenschaftliche Theologie XLVIII 1905 pp. 72—95 (Basilii Magnus, Ioannes Chrysostomus — Plutarchi Περὶ εὐθυμίας; cf. Id. Plutarchi Schrift περὶ εὐθυμίας, Hermes 40, 1905 p. 299, 1; R. Hirzel, Plutarch 1 p. 84, 2 et 3; J. Geffcken, Kynika und Verwandtes, Heidelberg 1909 p. 37 sq; 43 adn. 2. — Qua in re multa adhuc proficienda esse apparet.

¹⁾ Quod ut fieret quibus rationibus usus sit, vide sis L. Ackermann, Die Beredsamkeit des heil Johannes Chrysostomus, Würzburg 1889 p. 81 sqq; Paul Albert, St Jean Chrysostôme, considéré comme orateur populaire, Paris 1858 p. 173 sqq; 333 sq.

²⁾ Cf. Socrates, Hist. eccl., P. Gr. 67, 669; Photius, Bibl. P. Gr. 103, 505; Aimé Puech, Saint Jean Chrysostôme, Paris 1900 p. 40. Ipse Ioannes secundo anno, cum sacri oratoris munere functus esset, haec quodam cum

glegere et Ecclesiae de moribus doctrinam violare videbat, vehementer et constanter¹⁾ castigabat, at praecipiebat quae ad animum et mentem excolendam utilia essent²⁾. Contra superstitiones et malas a gentilibus adscitas consuetudines³⁾ acriter pugnabat; eorum, qui alia sacra amplectebantur vel a vera doctrina Christiana alieni erant, opiniones refellebat; depravatos sacerdotum mores emendare conabatur. Theatralia spectacula et ludos circenses⁴⁾, ebriositatem, luxum, alia vitia reprehendebat⁵⁾; mercennariorum (e. g. VII 614; 633) et servorum (e. g. XI 711 sq.) patrocinium suscipiebat, egentibus largiendum, mulierem dignitate augendam⁶⁾, liberos maiore cum cura educandos⁷⁾

dolore professus est (Homilia XVI ad populum Antiochenum, II 164: *καὶ τὸ πλεον ἡμῶν τῆς παραινέσεως εἰς τὸν ἡθικώτερον ἀναλίσκεται λόγον.*

1) IV 677 legimus: ...*χρῆ τὸν μέλλοντα κατορθοῦν ἐν τοῖς ἀκούουσι τὰ λεγόμενα, μὴ πρότερον ἀφίστασθαι περὶ τῶν αὐτῶν παραινούντα καὶ συμβουλεύοντα, μηδὲ ἐφ' ἕτερόν τι μεταπηδᾶν, ἕως ἂν ἴδῃ τὴν προτέραν παραινέσιν καλῶς ἐν αὐτοῖς ῥιζωθεῖσαν. Τοῦτο καὶ οἱ διδάσκαλοι ποιοῦσιν...* Cf. praeterea XI 651; XII 140; I 673 sqq; II 655 sqq; X 625 sq.

2) Neque laborem eius ad irritum cecidisse videas e. g. Soromeni Hist. eccl., P. Gr. 67, 1513; 1528.

3) Ipsorum quoque philosophorum paganorum opiniones refutabat, cum solam doctrinam Christianam verae philosophiae nomine ornandam esse crederet (cf. Elser l. l. p. 550 sqq.). Nihilominus tamen exempla a philosophis et aliis scriptoribus gentilibus sumpta ad docendum ac mores conformandos valere, etsi invitus, concessit (cf. XI 472).

4) Cf. e. g. VI 263 sqq. — Quae populi oblectamenta etiam alios patres vehementer impugnasse inter omnes constat (v. H. Reich, *Der Mimus*, Berlin 1903 I 1 p. 109 sqq. Boissier l. l. I p. 81 sq. A. Harnack, *Die Mission und Ausbreitung des Christentums in den ersten drei Jahrhunderten*, Leipzig 1906 (ed. III a. 1915) I p. 251). Spectacula theatralia, ludos equestres, mimos, saltationes, quippe quae mores corrumpere, vituperabant quoque ille Iulianus imperator (v. Boissier l. l. I p. 131 sqq.; Geffcken, *Der Ausgang des griech.-röm. Heidentums*, p. 130) et Libanius (Orat. XXXV 13; XXXVI 15; XLI 7 sqq.).

5) Ioannem potius vitia castigasse quam virtutes celebrasse docuit Dr. Sebastian Haidacher, *Des hl. Chrysostomus Buechlein über Hoffart und Kindererziehung*, Freiburg im Breisgau 1907 p. 1.

6) Ut quondam Stoici; v. Musonium p. 67 sq. Hense; Hieroclem p. 54 Arnim. Cf. Wendland l. l. p. 42 sq.

7) Vide Haidacher l. l.; Puech l. l. p. 72 sqq.

docebat. Harum quaestionum quae toties a Chrysostomo tractantur nonnullae nostrae quoque aetatis homines sollicitant et socialium nomine nuncupantur.

Iam id agitur, utrum hoc nomen etiam ad quaestiones a Chrysostomo tractatas referri possit necne. Cum enim libros eorum qui de Ioanne Antiocheno scripsissent curiosius perlustrarem, quosdam eum cum Gracchis et aliis viris antiquis comparare et tribunum vel *δημαγωγόν* appellare ausos esse deprehendi¹⁾. Quod haud negare possim, si plane dixissent se de eius auctoritate quam propter multas virtutes et artem oratoriam in populum exercuisset cogitasse, aut exprimere vultuisse eum similibus ac Gracchi temporibus vixisse et perinde ac tribuni Romani plebis patronum fuisse. Quia vero sententias suas distincte non explicuerunt et nonnullos ad hanc verborum suorum interpretationem impellere possunt Chrysostomum novis rebus studuisse et plebis vitae condiciones aut vi aut legibus commutare conatum esse, atque etiam virum seditiosum et turbulentum fuisse, hanc rem dubiam decernere mihi proposui.

Itaque priusquam argumenta attulero, ilico dicendum esse mihi visum est Ioannem nec novis rebus aequae ac Romanorum tribunos studuisse, nec rei publicae leges et disciplinam sive emendari oportere, sive omnino mutari posse credidisse, at solis moribus corrigendis ope-

1) Albert l. l. p. 141: Il y a en lui, il faut bien le dire, du démagogue: il fait ressouvenir les lois agraires; p. 303: Zosime l'appelle (sc. Chrysostomum) demagogue: le nom de tribun lui conviendrait mieux; p. 78: ...un homme politique. Amédée Thierry, *St Jean Chrysostôme et l'impératrice Eudoxie*, Paris 1874 p. 49 sq.: Ces scènes (sc. Constantinopoli) sont bien loin par le temps de celles de Saturninus et des Gracques, au fond ce sont les mêmes... Une église était aujourd'hui le forum, une chaire la tribune aux harangues, un évêque le tribun..; cf. p. 38. — Fr. Fabrège, *Saint Jean Chrysostôme et les idées Politiques des Pères de l'église*, *Revue générale*, nouv. sér. II 1868 pp. 29—44 et 359—70 (v. Chr. Baur, *S. Jean Chrysostôme et ses oeuvres dans l'histoire littéraire*, Louvain—Paris 1907 p. 278). Pflieger, *Der Socialismus der Kirchenväter*, *Schweiz Bl. f. Wirtsch.* VIII 1900 p. 753 sqq. Naegele l. l. p. 73. — Prorsus aliter putaverunt: Puech l. l. p. 58; 69; 195 („Chrysostôme eut parfois le geste et la langage d'un tribun; il n'en avait pas l'âme“); A. Largent, *S. Jean Chrysostôme et la critique contemporaine*, *Revue des Questions historiques* XIV 1873 p. 98.

ram navasse¹⁾. Res quae usu et vetustate tamquam altera hominum natura iamdudum factae sunt, ordo ad quem omnes assuefacti erant, sua auctoritate ac vi adeo eum occaecasse et irretisse videntur, ut consilia magna et nova quominus caperet omnino impediretur. Non est igitur cur miremur Chrysostomum, licet servorum quoque ferventissimus exstiterit patronus et multas de eorum fortuna fuderit querellas, tamen ut servitium tolleretur postulare ausum non esse²⁾; res enim quae cuiusque viri humani iram et indignationem excitant commutare non legibus novis ferendis studebat, sed Dei lege innixus hominibus virtutis viam tradere voluit. Magno animo, haud parva constantia, ardore, mentis acie a natura ornatus hominum vitia et scelera observavit eaque ut magnum oratorem decuit, gravibus, saepenumero nimis gravibus ac molestis verbis depinxit et reprehendit. Quae ut emendarentur, cum turpia vitiorum tum praeclara et aemulatione digna virtutis exempla proponebat, contumacibus vero hominibus aeternis suppliciis minitabatur; potius tamen ut singuli honeste viverent et Dei gratiam sibi conciliarent, quam ut ex eorum honestate ad communem utilitatem quidquam redundaret, cordi ei erat. Adde quod Chrysostomus plebem contra quemvis alium non inflammavit, nec quod constituerat, seditione commota vel coniuratione facta exsequi conatus est³⁾, sed omni virium contentione enisus est, ut mores conformando hominum discrimina leniret et curas levaret, neque umquam, ut eum seu tribuni seu vulgi turbatoris nomine oneres, adduceris.

Ad quam rem illustrandam multa exempla a Chrysostomo petita afferri possunt, ne tamen multus sim, tantum quae orator sacer de pauperibus et stipe porrigenda dixit, considerabo. Haec enim quaestio primum in eius sermonibus obtinet locum⁴⁾,

¹⁾ Immo vero aliter esse posse non putabat, servitii enim causam peccatum, imprimis illud a Chamo qui Noam patrem irrideret admissum esse credit; cf. IV 659 sq.; ib. 289 sq.

²⁾ Cf. Palladii Dialogum, P. Gr. 47, 20

³⁾ Legas velim sermonem de recipiendo Severiano habitum (III 423 sqq.); v. Socratem P. Gr. 67, 712; Sozomenum, ib. 67, 1561 sqq.; Otto Seeck, Geschichte des Untergangs der antiken Welt, Berlin V (1913) p. 361; 369.

⁴⁾ Cf. IV 316; 331; 394; 479; 485; 602; V 228; 293 sqq.; VII 605 630; 707; VIII 142 sqq.; 160 sqq.; IX 535; 594; X 177; 516; 537; XI 538.

ita ut rectissime humanitatis praeconis et beneficentiae praedicatoris cognomine¹⁾ ornatus sit. Qui equidem pauperes tanto amore prosecutus est, ut nonnunquam eos iam non solum a potentiorum et divitum iniuria defendere, sed etiam summis laudibus efferre eisque usquequaque concedere²⁾, et admodum raro quidquam exprobrare³⁾ videatur.

Vir qui res humanas commutare et meliores reddere sibi proposuit, operam det oportet, ut homines qui in egestate versantur inopia liberentur. Itaque curabit, ne eis laborandi potestas desit, utque merces ad laborem accommodata sit; si quis vero seu propter corporis infirmitatem seu adversam valetudinem ad laborandum non fuerit aptus, aut locupletis misericordiam implorabit, aut ut publice adiuvetur, iure postulabit. Sed imprimis ad laborem incitabit et de eius vi atque auctoritate monebit, utpote qui non solum cibos hominibus paret, sed etiam animos eorum gaudio et voluptate afficiat. Praeterea cives exhortabitur, ut parce vivant et quibus postridie vel temporibus nubilis utantur, providi colligant.

Ioannes ipsi labori summum tribuit honorem (XI 20; III 194), cum eum et ad hanc vitam bene conformandam et ad Dei gratiam sibi conciliandam multum valere credat (I 429; IV 572; VIII 133; IX 528; II 667; V 93), eumque ut bono et tranquillo animo simus, efficere persuasum sibi habeat (II 44 sq.). Attamen nunquam sive popularis favoris auram petens sive temporibus serviens tam providum et prudentem se praestitit, ut non stipem, quae plerumque propositum non assequitur et inutilis est, sed laborem pauperibus posceret, ut non desidiam et socordiam aleret, sed laboris studium et honestatem excitaret. Neque, quod praecipue mirandum et dolendum est, parcimoniae⁴⁾ mentionem fecit, quin immo ne opera

¹⁾ M. Villemain, *Nouveaux Mélanges historiques et littéraires*, Paris 1827² II p. 271: Il était l'apôtre de l'aumône. Nul moraliste, nul orateur de la chaire moderne n'a jamais égalé la vivacité persuasive et l'inépuisable abondance que Chrysostôme portait dans cette exhortation. Cf. *Largent* I. I. p. 98; *Puech* I. I. p. 58; 65.

²⁾ Cf. IV 603; X 176 sq.; 254 sq.; XII 176.

³⁾ I 444; XI 430; 495.

⁴⁾ Neque ipse in largiendo, cum episcopus esset, parcus fuisse videtur. Non est enim, cum Ioannis humanitatem nec non de divitiarum vanitate doctrinam notam habeam, cur dubitem vera fuisse quae ei in illa ad Quercum

in re familiari tuenda poneretur, hortatus esse saepius deprehenditur. Quae quidem sententiae, ut inter omnes constat, non sunt solius Chrysostomi, sed leguntur apud plerosque alios, qui sive Christianam doctrinam¹⁾ sive nonnullorum philosophorum gentilium disciplinam²⁾ secuti, homines vitam in egestate degentes omni laude cumulabant³⁾. Attamen argumento sint necesse est eum non curasse, ut proferret rationes, quae ad paupertatem atque etiam mendicitatem tollendas firmam et diuturnam vim haberent, sed eis tantum ad tempus praesenti auxilio ferendo occurrere conatum esse. Nisi res ita se habuisset, Chrysostomus mendicis eorumque improbis artibus, quibus ad pecunias sibi parandas uterentur (cf. IV 603; X 177), nonnunquam indignatus esset, neque a pauperibus qui hieme victu carerent prorsus culpam amovisset. Aliquando accidit, ut cum ad ecclesiam properaret, in mendicos et egenos fame et frigore cruciatos incideret. Itaque cum in suggestum sacrum ascendisset, misericordia permotus „de ellemosyna“ orationem ex tempore habuit, in qua haec professus est (III 261): *Ἐν... τῷ θέρει πολλὴν παρὰ τῆς ὥρας ἔχουσι παραμυθίαν οἱ πένητες...* (nam

synodo crimini daretur, eum scil. Ecclesiae facultates inconsulte largiendo effudisse (cf. Photius, P. Gr. 103, 107). Atque etiam tenendum est eum qui non civitatis ordinem, sed mores emendare vellet, qui a benevolentia et auctoritate largitione consecranda alienus esset, quominus Ecclesia bonis privaretur non obstitisse (VII 761 sqq; cf. X 179; XI 574). Quod hanc quoque nonnullorum refutat opinionem (cf. Thierry, l. l. p. 3; 23; 36; 406) Chrysostomum potestatis cupidum fuisse. Si enim consideraverimus quantum favorem atque auctoritatem is cui pecunias distribuendi et opem ferendi copia detur, sibi conciliare possit, Ioannem hac cupiditate liberum fuisse concedere necesse habebimus.

¹⁾ Cf. Basilii Magni homiliam in divites (P. Gr. 31, 277 sqq.; v. A. Dirking, S. Basilii M. de divitiis et paupertate sententiae quam habeant rationem cum veterum philosophorum doctrina, Monast. 1911); Gregorii Nazianzeni orationem XIV „de pauperum amore“ (P. Gr. 35, 357 sqq.; v. I. R. Asmus, Gregorius v. Nazianz u. sein Verhältniss zum Kynismus, Theol. Stud. u. Krit. LXVII 1894 p. 314 sqq.); Gregorii Nysseni „De pauperibus amandis et benignitate complectendis“ (P. Gr. 46, 453 sqq.).

²⁾ Cf. T. Sinko l. l. p. 28 sqq.; Wilhelm Meyer, Laudes Inopiae, Göttingen 1915.

³⁾ J. Geffcken, Kynika und Verwandtes, p. 38 haec professus est: „Vollends spricht aus allem, was Johannes über den Reichtum und die Reichen bemerkt, der reine Ton der hellenischen Diatribe“. Atque dicendum est hasce Chrysostomi sententias gentilium philosophorum redolere sapientiam.

nec densiore vestitu et calceamentis nec largiore cibo et tecto inigent) . . και ταύτης δὲ οὐκ ἐλάττονα ἔχουσιν ἐτέραν παραμυθίαν, τὴν τῆς ἐργασίας εὐκολίαν· οἱ γὰρ τὰς οἰκίας οἰκοδομοῦμενοι, και οἱ τὴν γῆν σκάπτοντες, και οἱ τὴν θάλασσαν πλέοντες τῆς τούτων μάλιστα θέονται συνεργίας . . . ἐν δὲ τῇ τοῦ χειμῶνος ὥρᾳ πολὺς αὐτοῖς πάντοθεν ὁ πόλεμος . . . και τὸ δὴ πάντων χαλεπώτερον, οὐδὲ ἐργασίας τίς ἐστὶν αὐτοῖς εὐπορία· οὐ γὰρ ἐπιτρέπει τοῦ ἔτους ἡ ὥρα.

Ut iam ad ipsam stipem progrediamur, utque quid ei proposuerit Chrysostomus, respondeamus, animadvertendum est eum et qui accipirent et qui darent uberrimum ex beneficentia fructum capere credidisse; illos, quod aliorum liberalitas ad inopiam minuendam valeret, hos, quod largiendo Dei gratiam sibi conciliarent. Itaque ductus est cum illa humanitate¹⁾ et benignitate, quae omnium subtiliore animo ornatorum hominum communes sunt, tum Christiana doctrina, quae non solum bene vivere sed etiam bene facere opus esse docet. Quod vero hac in re divitūm quoque atque, ut infra videbimus, eorum imprimis²⁾ rationem habuit nec locupletes mendicos fieri voluit³⁾, ut sibi constaret, ipsam rem familiarem, utpote quae possessoribus beneficii tribuendi daret potestatem, comprobavit eamque utilem putavit. Soli divites, qui insano pecuniarum amore incensi et avaritia occupati omnem humanitatis sensum amiserant, summam eius vituperationem subierunt (cf. II 40; IV 348; V 234; VI 144; VII 685; IX 330)⁴⁾.

In secunda de status homilia (II 43) profitetur homines omnia ut aërem, aquam, ignem, solem communia habere, solas divitias unius esse convenire. Πάλιν εἰ, concludit, και τὰ χροή-

¹⁾ Iob cum omnia quae haberet pauperibus largitus esset, φιλάνθρωπος fuit, cum autem suarum fortunarum ruinas aequo animo tulisset ac Deo gratias egisset φιλόσοφος (II 29).

²⁾ Cf. XI 287: Πολλάνεις εἶπον, ὅτι ἡ ἐλεημοσύνη οὐ τῶν λαμβανόντων ἔνεκεν, ἀλλὰ τῶν διδόντων ἐπεισῆχθη· και γὰρ ἐκεῖνοι εἰσιν οἱ τὰ μέγιστα κερδαίνοντες.

³⁾ X 256: Οὐ πτωχοὺς ὑμᾶς σπουδάζων ποιῆσαι, ἄνθρωπε, ταῦτα λέγω, ἀλλὰ τοῦ οὐρανοῦ τὸν πλοῦτον ὑμῖν ἀνοιῆσαι σπεύδων.

⁴⁾ Cf. Clemens Alexandrinus, Quis dives salvetur 14. Ambrosius, P. L. 15, 1739 sq., 1882. Augustinus, Sermo 14, P. L. 38, 111 sqq.

ματα ἦν κοινὰ, καὶ πᾶσιν ὁμοίως προὔκειτο, ἐλεημοσύνης ἀνήρητο πρόφασις, καὶ φιλοφροσύνης ἀφορμή. Ἴνα οὖν ἀδεῶς ζῶμεν, κοινὰ γέγονεν ἡμῖν τὰ τῆς ζωῆς αἷτια· πάλιν, ἵνα ἔχωμεν στεφάνων καὶ εὐδοκιμήσεων ἀφορμήν, οὐ κοινὰ γέγονε τὰ χρήματα, ἵνα πλεονεξίαν μισοῦντες καὶ δικαιοσύνην διώκοντες, καὶ τὰ ὄντα τοῖς δεομένοις προϊέμενοι· παραμυθίαν τινὰ διὰ τῆς μεθόδου ταύτης τῶν οἰκείων λαμβάνωμεν ἀμαρτημάτων. Alibi haec leguntur (III 355 : q) : Οὐ τῶν πλούτουτων ἀπλῶς κατηγορῶν ταῦτα εἶπον, οὐδὲ τοὺς πένητας ἀπλῶς ἐπαινῶν· οὔτε γὰρ ὁ πλοῦτος κακὸν ἀλλὰ τὸ κακῶς κεχρηῆσθαι τῷ πλούτῳ· οὔτε ἡ πενία καλὸν, ἀλλὰ τὸ καλῶς κεχρηῆσθαι τῇ πενίᾳ ... Τῶν γὰρ πραγμάτων... τὰ μὲν ἐστὶ φύσει καλὰ, ἀδὲ τὸ ἐναντίον· τὰ δὲ οὔτε καλὰ, οὔτε κακὰ ἀλλὰ τὴν μέσσην τάξιν ἐπέχει. Καλὸν ἢ εὐσέβεια φύσει, κακὸν ἢ ἀσέβεια· καλὸν ἀρετῇ, κακὸν ἢ πονηρίᾳ· ὁ δὲ πλοῦτος καὶ ἡ πενία καθ' ἑαυτὰ μὲν οὔτε τοῦτό σιν, οὔτε ἐκεῖνο· παρὰ δὲ τὴν προαίρεσιν τῶν χρωμένων ἢ ἐκεῖνο γίνεται. Ἄν μὲν γὰρ πρὸς φιλανθρωπίαν χρήσῃ τῷ πλούτῳ, γέγονέ σοι καλοῦ τὸ πρᾶγμα ὑπόθεσις· ἂν δὲ εἰς ἀρπαγὰς καὶ πλεονεξίας καὶ ὕβριν, πρὸς τὸ ἐναντίον ἔτρεψας αὐτοῦ· τὴν χρῆσιν, ἀλλ' οὐχ ὁ πλοῦτος αἷτιος, ἀλλ' ὁ πρὸς ὕβριν τῷ πλούτῳ χρησάμενος. Οὕτω καὶ περὶ τῆς πενίας ἔστιν εἰπεῖν... (v. II 158; VI 147; cf. Seneca Ep. 17, 12). Simili modo dixit V 503: Ταῦτα λέγω οὐ πλοῦτον διαβάλλων, μυριάκις εἶπον (cf. VII 605), ἀλλὰ τοὺς κακῶς τῷ καλῷ κεχρημένους πραγματι. Τὰ γὰρ χρήματα σὺν τοῖς πράξεσι καλὰ. Πῶς καλὰ δέ; Ἐὰν παραμυθῶνται τὴν πενίαν, ἐὰν διορθῶνται πτωχείαν. III 399: Ἐγὼ δὲ κεκόλλημαι τοῖς πλουσίοις· οὐ τοῖς πλουσίοις δέ, ἀλλὰ τοῖς κακῶς τῷ πλούτῳ κεχρημένοις. Ἄει γὰρ λέγω, ὅτι οὐ τὸν πλούσιον διαβάλλω, ἀλλὰ τὸν ἀρπαγα. Ἄλλο δὲ πλούσιος, καὶ ἄλλο ἀρπαξ· ἄλλο εὐπορος, καὶ ἄλλο πλεονέκτης (cf. II 40). Διαιρεῖ τὰ πράγματα, καὶ μὴ σύγχεε τὰ ἄμικτα. Πλούσιος εἶ; Οὐ κωλύω. Ἄρπαξ εἶ; Κατηγορῶ. Ἐχεις τὰ σά; Ἀπόλαυε. Λαμβάνεις τὰ ἀλλότρια; Οὐ σιγῶ¹⁾. III 69: Οὐ τοίνυν ὁ πλοῦτος κακὸν, ἀλλ' ἡ παράνομος αὐτοῦ χρῆσις κακὸν.... Διὰ τοῦτο χρήματα λέγεται χρησώμεθα, καὶ μὴ ἐκεῖνα ἡμῖν· διὰ τοῦτο κτήματα λέγεται, ἵνα

¹⁾ Hoc dicendi genus cum apud ipsum Chrysestomum tum apud ple-
rosque alios et philosophos et oratores saepissime deprehenditur (v. Sinko
l. I p. 46 sq.; Cicero Parad. praef.).

ἡμεῖς αὐτὰ κτησώμεθα, καὶ μὴ ἐκεῖνα ἡμᾶς (cf. XI 556... χρήματα παρὰ τὸ κεχρηῆσθαι¹)...; II 653; III 231; XI 260). X 113: καὶ ταῦτα λέγω, οὐκ ἐπειδὴ ἁμαρτία τὰ χρήματα... Οὐδὲν γὰρ ὁ Θεὸς κακὸν ἐποίησεν, ἀλλὰ πάντα καλὰ λίαν (eadem sententia saepius legitur) ὥστε καὶ τὰ χρήματα καλὰ, ἀλλ' ἐὰν μὴ κρατῆ τῶν κεκτημένων, εἶν τῆς πενίας τῶν πλησίον λύη. VIII 123... Οὐκ ἐγκάλῳ τοῖς οἰκίας ἔχουσι, καὶ ἀγρούς, καὶ χρήματα, καὶ ἀνδράποδα· ἀλλὶ μετὰ ἀσφαλείας ταῦτα κεκτηῆσθαι βούλομαι καὶ μετὰ τοῦ πρέποντος. Τὶ θεῖ ἐστι, μετὰ τοῦ πρέποντος; Ἐν τάξει δεσποτῶν, καὶ μὴ δούλων, ὥστε κρατεῖν αὐτῶν, καὶ μὴ κρατεῖσθαι ὑπ' αὐτῶν, ὥστε κεχρηῆσθαι αὐτοῖς, καὶ μὴ παρακεχρηῆσθαι... Οὐ διὰ τοῦτο ἔλαβες, ἵνα αὐτὰ καταχώσης, ἀλλ' ἵνα αὐτὰ διανείμῃς.

Haec pauca exempla satis luculenta esse mihi videntur, ut Ioannem neque divitias neque eos qui copiis abundarent condemnasse credamus. Iam adicienda sunt aliquot argumenta, quibus Chrysostomus, cum haec diceret, praecipue locupletes respexisse comprobetur. In homilia in Ioannem XXVII (VIII 162) haec protulit: Ταῦτα συνεχῶς λέγω, καὶ λέγων οὐ παύσομαι, οὐ πενήτων οὕτω κηδόμενος, ὡς τῶν ὑμετέρων ψυχῶν. Ἐκείνοις μὲν γὰρ, κἂν μὴ παρ' ἡμῶν, ἀλλ' ὅμως ἐτέρωθεν ἔσται τις παραμυθία· κἂν μὴ γένηται παραμυθία, ἀλλὰ λιμῶ διαφθαρώσι, οὐδὲν μέγα τὸ τῆς ζημίας αὐτοῖς... Ἰμᾶς δὲ οὐδεὶς ἐξαιρήσεται τῆς γέννησης, ἂν μὴ τῆς παρὰ τῶν πενήτων τύχητε βοηθείας. III 266: Ἐπεὶ καὶ ὁ Θεὸς τὴν ἐλεημοσύνην διὰ τοῦτο ὥρισεν, οὐχ ἵνα τρέφονται μόνον οἱ θεόμενοι, ἀλλ' ἵνα καὶ οἱ παρέχοντες εὐεργετῶνται, καὶ διὰ τούτους μᾶλλον, ἢ δι' ἐκείνους... Pauperes animarum nostrarum medici sunt, atque ut apud Deum gratiam ineamus, nos adiuvant (cf. III 300; VIII 618; X 255): Ὁρᾶς ὀπόση γίνεται ἀπὸ τῶν πενήτων ἡμῖν ἢ πραγματεία; κἂν τούτους ἀνέλῃς,

¹) Cf. Teles, περὶ πενίας καὶ πλούτου, p. 27 Hense: διὸ καὶ οἱ ἀρχαῖοι ἔλεγον οὐκ ἀηδῶς· ἔφασαν γὰρ τῶν ἀνθρώπων οὐς μὲν χρήματα ἔχειν οὐς δὲ κτήματα· οὐς μὲν γὰρ χρᾶσθαι τοῖς ὑπάρχουσιν οὐς δὲ μόνον κεκτηῆσθαι οὔτε ἑαυτοῖς προἰεμένους οὔτε ἄλλοις μεταδίδοντας. — Clemens Alexandrinus, Quis dives salvetur 14, 1 Siähhlin: κτήματα γὰρ ἐστὶ κτητὰ ὄντα καὶ χρήματα χρήσιμα ὄντα καὶ εἰς χρῆσιν ἀνθρώπων ὑπὸ τοῦ θεοῦ παρεσκευασμένα.

τὴν πολλήν τῆς σωτηρίας ἡμῶν ἀντίληψ ἐλπίδα (VII 712). Quia vero nonnulli egentibus opem ferendi onus Ecclesiae imponebant, quippe quae haud parvas facultates haberet, his ita respondit (X 179): *Καὶ τί τοῦτο πρὸς σέ; οὐδὲ γὰρ, ἐὰν ἐγὼ δῶ, σὺ διεσώθῃς· οὐδ' ἂν ἡ Ἐκκλησία παρὰσχη, σὺ τὰ ἁμαρτήματα ἐξήλειψας τὰ σά. Εἰ γὰρ διὰ τοῦτο οὐ δίδως, ἐπειδὴ ἡ Ἐκκλησία ὀφείλει δοῦναι τοῖς δεομένοις· ἐπειδὴ εὐχονται οἱ ἱερεῖς, σὺ οὐκ εὕξει ποτέ;...* Itaque cum ex stipe maiorem fructum ad eos qui porrigerent quam qui acciperent, redundare crederet, neminem etiam pauperem huius officii immunem esse debere persuasum sibi habuit (III 22; 265); magna cum cura, qui adiuvarentur, quaeri iussit (XI 697); opem etiam indignis et improbis ferendam existimavit (I 770; 989; III 287; IX 607). Et cum Christianae doctrinae interpres beneficentiam ac liberalitatem ad Dei gratiam colligendam maximi esse momenti putavit, tum virtutis magister eas ad mores conformandos et bene vivendum multum valere professus est: *“Ορα γὰρ ἐπιτεῦθεν πόσα τίχεται ἀγαθὰ ὁ διδοὺς ἐλεημοσύνην, ὡς χρὴ δίδοναι, μανθάνει τῶν χρημάτων καταφρονεῖν ὁ μαθὼν χρημάτων καταφρονεῖν, τὴν ῥίζαν ἐξέκοψε τῶν κακῶν. “Ὡστε οὐκ εὖ ποιεῖ μᾶλλον, ἢ εὖ πάσχει, οὐ τῷ δριελῆν καὶ ἀμοιβὴν κείσθαι μόνον τῇ ἐλεημοσύνῃ, ἀλλὰ καὶ τῷ τὴν ψυχὴν φιλόσοφον γίνεσθαι, καὶ ὑψηλὴν καὶ πλουσίαν (XI 181).*

Quod autem hominibus indigentibus de re familiari imperitendum esse plerisque locupletibus persuadere nequivit, avaritiam et divitiarum amorem in odium vocare multiplici ratione studuit. Non est hic locus, ut omnia exempla afferam, teneri tamen non possum, quin laudem ea quae aliorum quoque morum magistrorum sententias redoleant¹⁾ quaeque non ex Christiana doctrina sed e vita cotidiana eiusque molestiis ac doloribus manaverint²⁾. Itaque depingit Iones varias curas et peri-

¹⁾ Cf. e. g. Horatii Sat. I 1, 41 sqq.; Carm. III 1, 17 sqq.; Senecae Ep. 115, 16; Dial. XII 12, 3.

²⁾ V. IV 515: *καὶ οὐπω λέγω τὴν διὰ ταῦτα (sc. χρήματα) κόλασιν ἐπηρητημένην, ἀλλ' ἀπλῶς τὰ ἐν τῷ παρόντι βίῳ, ὅτι οὐδὲ ἡδονὴν τὸ πρᾶγμα ἔχειν δύναται, ἀλλὰ καθημερινὰς ταραχὰς καὶ ἀηδίας.*

cula, quae divitibus impendeant, atque animadvertit pauperes hac in re multo feliciores esse. Nam pecuniarum amor innumerabilium dolorum causa est (VIII 477; X 92 sq. 120); dives nihil aliud atque urbs sine muro in planitie posita esse videtur (IX 110), de fortunis suis die noctuque pertimescit (XI 195 sqq.), nam insidiantur eis multi viri mali, ipsi quoque servi (IV 586), imminet potentiorum violentia (IV 515), tum aestus, pluviae nimiae, fluviorum inundationes, grando, locustae (IV 586), denique tinea, aerugo (VII 219). Divitiae efficiunt, ut qui eas possidet, semper tempori servire, lictorum iram et imperatoris indignationem metuere (V 143), principibus nec non subditis adulari (VII 791; II 45) cogatur; permulta vitia et scelera (IV 450), multas cupiditates (V 140) excitant. Si quem vero spes frustrata est, si gloria et honore caret, aut a principibus et ducibus despicitur (V 365), rebus suis desperat et dolore premitur. Adice quod avarus omnibus et servis et vicinis et uxori liberisque omnium maxime fastidio est (VII 749), ac quae acquisivit persaepe heredi inimico relinquit (IV 435; V 230 sq.). Nimirum locuples ut in divitias odium suscipiat ac pauperem beatum vocet, adducitur (IV 450). Hic enim omnibus curis et molestiis quae illum angunt, omnibus vitiis quibus ille obruitur, liber est (V 279; 143; 503; VII 791). Ipsius quoque principis res minus secundae quam plebei sunt (V 473). Quae cum ita sint pauper et libentius edit et iucundius quam dives bibit, et diurnis laboribus fatigatus placidum capit somnum, dum ille, etsi omnia expertus est, insomnem noctem agit (II 44 sq.; IV 674; X 488 sq.).

Itaque Chrysostomum cum in pauperis praestantia celebranda tum in hominis locupletis et avari miseria describenda nimium et immoderatum fuisse apparet. Hoc etiam animadvertendum est eum rem familiarem, etsi eam non impugnavat¹⁾ eaque divitem libere uti passus est (III 399; cf. p. 20), quoddam depositum (I 1039), de quo indigentibus impertien-

¹⁾ Diversam opinionem professi sunt plerique qui de Ioanne scripserunt. Vide sis Albert l. l. p. 164; 327; Puech l. l. p. 62; Idem, un réformateur de la société chrétienne au IV-e siècle. Saint Jean Chrysostôme et les mœurs de son temps, Paris 1891 p. 67.

dum esset, putasse. Semper enim divitiae etiamsi hereditate acceptae ab iniustitia profectae sunt (XI 562 sq.), ac quondam cuiusdam alii fuerunt. Quam ob rem divites pauperum pecunias possidere contendere non dubitavit (I 987 sq., XI 636) illosque ad largitionis rationem reddendam a Deo vocari arbitratus est (I 988).

Cum in beneficentia ac liberalitate aestimanda non doni magnitudo sed gratificantis liberalis voluntas perpendatur (I 770; VII 522), non solum pecunia sed etiam opera benigne fit indigentibus (II 33)¹⁾. Quin etiam Ioannes, cum varias stipis rationes enumeraret (IX 196): pecunia, patrocinio, ministrando (ut medicus), consilio, hanc omnium optimam et maximam appellare ausus est. Si vero nec pecunia nec opera pauperes adiuvandi alicui copia datur, at verbis mansuetis eis benevolentiam praestet necesse est (IV 384).

Iamque non est dubium quin Chrysostomus id potius spectaverit, ut virtus coleretur et vitia extirparentur²⁾, quam ut pauperes adiuventur; ut beneficia darentur, quam ut quis ex eis fructum perciperet. In calce liceat etiam monere Ioanni paupertatem prorsus tollendam non esse visam. Nam cum rem familiarem tum inopiam utilem et necessariam esse censuit, cum ex victus quaerendi necessitate laboris studium nasceretur, quod ad hominum vitam communem instituendam maximi esset momenti (XI 20). Hanc pulchram et gravem sententiam, quae tamen, ut usus docet nec non locus infra laudatus comprobatur, potius paupertatem, quod millies in Chrysostomi scriptis observari potest, summis laudibus celebrare, quam ad verum accedere videtur, his verbis disertis amplexus est (IV 673): "Αν γὰρ ἀνέλης τὴν πενίαν, τοῦ βίου τὴν σύστασιν ἀνεῖλες ἅπασαν καὶ διέφθειρας ἡμῶν τὴν ζωὴν· καὶ οὔτε ναύτης, οὔτε κυβερνήτης, οὔ γεωργός, οὔκ οἰκοδόμος, οὔχ ὑφάντης, οὔχ ὑποδηματοφόρος, οὔ τέκτων, οὔ χαλκοτύπος, οὔ σκυτοτόμος, οὔ σιτοποιός, οὔκ

¹⁾ Cf. Cicero, de officiis II 15 § 12.

²⁾ V 62 haec professus est: ..δύο εἰσὶν ὁδοὶ πρὸς ἀρετῆς ἄγουσαι, μία μὲν ἡ ἀπαλλαγὴ τῆς κακίας, ἑτέρα δὲ ἡ ἐργασία τῶν ἀρετῶν.

ἄλλος τις τῶν δημιουργῶν ἔσται τούτων¹⁾. τούτων δὲ οὐκ ὄντων, πάντα ἡμῖν οἰχήσεται. Νῦν μὲν γὰρ, καθάπερ διδάσκαλός τις ἀρίστη, ἐκάστῳ τούτων ἐπικαθημένη ἢ τῆς πενίας ἀνάγκη, πρὸς τὰ ἔργα καὶ ἄχοντας συνωθεῖ· εἰ δὲ ἅπαντες ἔμελλον πλουτεῖν, ἅπαντες ἔμελλον ἐν ἀργίᾳ ζῆν (!)· καὶ οὕτω πάντα ἐν ἀπώλετο καὶ διεφθάρη.

Cracoviae

Stanislaus Skimina



¹⁾ Similia de inopiae vi atque auctoritate leguntur etiam apud alios scriptores; cf. Apuleius, de magia 18 sqq.; Aristoph. Plut. 557 sqq.; vide Simko I. I, p. 36 sq.